

quantitatibus utcumque compositis operandum est. Quantitas subtrahenda inferiori loco scribitur, alia au-

*Exemplum.*  
 $ab + abb - dd$   
 $ab - bc + dd$

tem, ex quo subtractio fieri debet, supra apponitur; deinde mutatis signis, ut jam dictum est, tota quantitatum series scribitur, & postea reducitur, ut factum est in additione; habebitur quantitatum differentia infra lineolam scribenda. Quod autem in quantitate subtrahenda signum  $-$  mutetur in  $+$ , ratio facile patet. Si ex  $a$  subtrahi debeat  $a - d$ , scribaturque primo  $a - b$ , subtractio iusto major est; subtrahenda enim non proponitur tota quantitas  $b$ , sed  $b$  multiplicata quantitate  $d$ ; quare iusto major est subtractio, & excessus est ipsa quantitas  $d$ , quae proinde cum signo positivo  $+$  restitui debet, & scribendum est  $a - b + d$ . Id vero numerorum exemplo illustratur. Si ex numero 6 subtrahendus proponatur numerus  $5 - 3$ , ex praescripta regula scribendum est  $6 - 5 + 3$ , hoc est 4, reductione facta; quod evidens est. Si enim scriberes  $6 - 5 - 3$ ; subtraheres 8 ex 6, quod quidem faciendum non proponitur; cum enim sit  $5 - 3 = 2$ , ex numero 6 subtrahi debet quantitas numerus 2. Ceterum patet in calculo litterali non secus ac in arithmetico, additionem, & subtractionem sibi mutuam probationem praebere, ita ut operatio una per alteram mutuo exploretur.